



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 27. Josephi Patriarchæ Constantinopolitani obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

cio dubitationem agitemus. Patriarcha, Sæcul. XV. A.C. 1439.
 tam salutare unionis negotium, prius-
 quam mors ei oculos occluderet, omni-
 bus numeris absolutum intueri deside-
 rans enixe flagitavit, ut postrema adhuc
 Sessio celebraretur, in qua utriusque Ec-
 clesiæ consensus solemniter decreto sancire-
 tur. Verum pio Seni reponeretur, ad
 plenam perfectamque unionem requiri, ut
 etiam in reliquis articulis communis da-
 retur assensus: bono interim animo eum ju-
 bebant esse, dicentes de illis brevi futuram
 optatam quoque sententiam, eo quod Depu-
 tati, quos Ferrariæ nominatos sciret,
 ut controversas hasce quæstiones intra
 semestre a prima Sessione usque ad se-
 cundam excurrere in particularibus Con-
 gregationibus discuterent, jamjam potis-
 simam earum partem, præcipue articu-
 lum de purgatorio, feliciter absolvissent.

§. XXVII.

*Josephi Patriarchæ Constantinopoli-
 tani obitus.*

Hanc ob causam Patriarcha ultimo, Part. 17.
 quod adeo expetierat, solatio privatus Conc. Flor.
 est, ad vesperam eodem adhuc die 9. Ju- to. 13 p. 1135
 nii subitanea morte præventus, postquam Onuphr. in
 pridie ante suum obitum adhuc professio- chron.
 nis fidei de processione Spiritus Sancti Phranz. I. I.
 c. 36.

Ff 3 manu

Sæcul. XV
A.C. 1470

manu tua subscripserat. Historicorum nonnulli eundem die decima ejusdem mensis animam exhalasse referunt. Id tamen certum est, quod post solis occasum in cubile suum secesserit, ac conscriptis ultimæ voluntatis suæ tabulis, acutissimis doloribus correptus, vix e-
menso unius horæ spatio vitæ finem imposuerit. Hic Anno MCCCCXVI. decedente Euthymio in Patriarcham Constantinopolitanum electus est, unde Onuphrius hallucinatur, cum annum Domini millesimum quadringentesimum vigesimum quartum designat.

§. XXVIII.

Scripta Patriarchæ professio fidei.

Acta Græca
Conc. Fior.
p. 494.
tom. 13.
Conc. Labbe.

Cum repentinæ hujus mortis Fama universam urbem pervolaret, omnes Græcorum Prælati confestim ad Patriarchæ domum accurrunt, in ejusque cubili scripturam a se paulo ante confectam reperiunt, atque ultimum, quo sententiam suam declaravit, fidei monumentum publice perlegunt, hisce verbis conceptum: *Joseph miseratione divina Archiepiscopus Constantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha: quoniam ad finem vitæ meæ perveni, soluturus jam commune debitum, Dei gratia scribo & subscribo sententiam*